Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35185
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar



Mox ruit intera domus ebrietate profunda
Tota sepulta iacet dormit et ipse vigil
Omnia sompnus iners operit gundolfus et ipse
Dormit et in sompnis sompnia grata videt

Sompnium Gundolfi

Ordine suscepto iam se putat esse reversum
Indutusque saccis iam celebrare se parat
Cantoris que videt niveo sub tegmine gallum
Obtinuisse vices atque tenere chorum
Introitus misse que gallus voce sonora
Omnibus inuitis intulit iste fuit
Omnia que nobis domine fecisse videris
Iudicio iusto facta fuisse liquet
Eumque calix magnus vino repletus adesset
Hausit et a fundo viscera cuncta tulit
Eumque calix saperet absumptus et ipse fuisset
Cetera perfecit ordine cuncta suo
Sed finem misse cum cantor debuit ite
Dicere conticuit signa nec ulla dedit
Talibus obstupuit gundolfus visis et altis
Vocibus exclamans est ait est ne dies
Cui respondentes famuli dixere volentes
Surgere sustineas tempus adesse tuum
Nondum cantauit gallus qui tempora noctis
Nouit et assignat singula vice sua
Quamuis vellemus furari tempore nobis
Inuitus gallus significaret ea
Nouit enim melius quam nos discrimina noctis
Pars quotta transierit pars quotta restat adhuc